



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

**B. Haymonis, Episcopi Ante DCCC. Circiter Annos
Halberstadensis, Historiae Ecclesiasticae, Sive De Rerum
Christianarum Memoria, Libri X**

Haimo <Halberstadensis>

Helmestadi[i], 1671

Cap. IX. Novum portentum de vitula enixa agnum.

urn:nbn:de:hbz:466:1-10968

turpissimis mortibus & cladibus inauditis, eisdem diebus damnarentur; & qui in ejusdem Domini damnatione dies festos duxerant solennes, nunc ipsos suis damnationibus agerent luctuosos. Qui etiam recte fame pereunt, ut, qui Domino, esurienti salutem eorum, fel in escam dabant, omnimoda suavitate escarum priuarentur.

C A P. IIX.

De tempore subversionis Hierusalem.

Fit autem hæc Hierosolymæ subversio XL. annis à passione Domini dilata ultione, anno Imperii Vespasiani secundo: & interim potuissent Iudæi, si velent, locum pœnitentiæ invenisse, commoniti sæpe ab Apostolis, prædictam civitatis adesse everisionem. Et à Iacobo fratre Domini, edocti, dum viveret; per signa & prodigia cœlitus ostensa, ante tempus excidii commonebantur. Etenim stella præfulgens, gladio per omnia similis, imminere desuper civitati, & Cometes præterea exitialibus flammis per totum ardere visus est annum.

C A P. IX.

Novum portentum de vitula enixa agnum.

Vitula quoque, sacrificiis admota, in die festo azymorum, inter manus ministrorum enixa est agnum. Porta vero interioris ædis ærea, cum tanti ponderis, ut vix à XX. viris clauderetur, esset, vectibus & seris munita, nocte ultro patefacta est. Visi etiam

D 2

currus,

currus, & armatorum cohortes, in aërem ferri, & alia multa, quæ non faciunt ad hujus operis compendium; maxime cum res Christianas prosequi debeamus.

C A P. X.

Electio Simonis, filii Cleophæ, in Episcopum

Hierosolymitanum.

Igitur subversa Hierusalem non multo post martyrium Iacobi, convenientibus Apostolis in unum, & propinquis Domini secundum carnem, *Simon*, filius *Ioseph*, communi consilio in Episcopum surrogatur.

C A P. XI.

Commendatio Titi.

Interim Vespasianus moritur, *Titus* filius ejus succedit in imperio, princeps militaris, pius, sapiens, bellicosus, qui in tantum facundus fuit, ut causas Latine ageret, poëmata & Tragœdias Græcè componeret.

B E D A.

Tantum autem bellicosus fuit, ut, in expugnatione Hierosolymæ præcipue, inter optimos extiterit præliator. Tantum autem in imperio bonus ac clemens fuit, ut nullum omnino puniret: sed etiam cunctos adversum se conjurantes dimitteret, & in ea familiaritate, quam prius habuerat, retineret. Dicebat enim, *indecorum esse aliquem contristatum recedere à facie Imperatoris*; cujus inter omnia fuit illud celebre dictum, *diem se perdidisse*, quo nihil boni fecerat. Ita omnium virtutum genere mirabilis fuit, adeo ut amor

& deli-